LACTANTIUS

Oberitalien, 2. Drittel 15. Jh. (nach Wasserzeichenbefund) Seite 140r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">>

Reddant ergo isti rationem: si possunt: cur aut factus in principio sit: aut postea resoluatur: Quod quia docere non poterant epicurus siue democritus: sua sponte natum esse dixit seminibus inter se passim cocuntibus: quibus iterum resolutis discidium atq; interitum sequuturum: Corrupit ergo quod recte uiderat. & totam rationem penitus ignorantia rationis euertit. redegitq; mundum & omnia. que in eo gerunturi: ad similitudinem cuiusq; vanissimi somni. Si quidem rebus humanis ratio nulla subsistit: cum vero mundum omnesq; partes eius: ut uidemus mirabilis ratio gubernet: Cum celi temperie & equalis in ipsa varietate cursus astrorum lunamq; celestium temporum constat. ac mira descriptio terrarum varia fecunditas. plana temperie nutrimenta camporum & aggeres montium viriditas. ubertasq; siluarum. fontium salubrima eruptio. fluminum opportuna mundatio: maris opulentia & copiosa interfusio. Ventorum diuisa & uniis aspiratio. ceteraq; omnia ratione suma constet: quis tam cecus est: qui ut existimet sine causa esse facta. in quibus mira dispositio prouidentissime rationis elucet: Si ergo sine causa nec est. nec fit omnino quicq: si & prouidentia summi dei ex dispositione rerum & uirtus ex magnitudine & potestas ex gubernatione manifesta est: Hebetes ergo & insani qui prouidentiam non esse dixerunt: non improbarem si deos ideirco non esse dicerent: vt unum dicerent: Cum autem ideo: ut nullum: qui eos delirasse non putat. ipse delirat:-

Democritus de mundi creatione.

Quomodo sit suma ratione conditus a deo.

.IIII.

Sed de prouidentia satis in primo libro diximus Quia & si est: sit apparet ex mirabilitate operum suorum: necesse est & hominem ceteraq; animantes eadem prouidentia creauerit: Videamus ergo que ratio fuerit fingendi generis humani: Quoniam constatid: qd stoici aiunt: hominum causa mundum esse fabricatum: Qq; in hoc ipso non mediocriter peccent: q non hominis causa dicunt: sed hominum. Vnio h. singularis appellatio totum comprehendit humanum genus: Sed hoc ideo: quoniam ignorant: unum hominem a deo esse formatum: putantq; homines in omnibus terris & agris tamq; singulos esse generatos: At Hermes non ignorauit hominem a deo & ad dei similitudinem factum. Sed redeo ad propositum: Nihil est ut opinor: quod sit propter se ipsum factum: sed qcqd omnino sit. ad usum aliquem fieri nece est: Quis est h. vel tam inptus. vel tam uitiosus: ut aggrediatur aliquid facere frustra ex quo nullam utilitatem: nullum comodum speret: Qui domum edificat non ideo edificat: ut tantum modo domus sit: sed ut in ea possit habitari: Qui nauem fabricat non ideo insumit operam: ut tantum naus appareat: sed ut in ea nauigetur: Item qui vas aliquod instituit ac format: non propterea id facit: ut tantum fecisse uideat:

Cuius gratia factus sit mundus.

Falsa quedam opinio.